

DE TUTTISSIMA
CRIMINVM IN CIVITATIBVS
MINVENDORVM

VIA
BONA PVERORVM EDVCATIONE
SPECIMEN

ILLVSTRIS
IVRECONSVLTORVM ORDINIS AVCTORITATE
PRO SVMMIS
IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
CAPESSENDIS

D. XXI. MAJI MDCCLXXXV

H. L. Q. C.

AD DISPVTANDVM PROPONIT
M. IOANNES FRIDERICVS AVGVSTVS BAVMANN

COLLMENA MISNICVS

IVRIS VTRIVSQVE BACCALAVREVS

LIPSIAE

EX OFFICINA SOMMERIA.

Coll. diss. A
44, 54

St. A. 144 (54.)

CHRISTOPH WILHELM VON GLÜCK
MUSIKALISCHES
KUNSTWERK

IN FÜRSTENBERG
1764

IN FÜRSTENBERG
1764



IN FÜRSTENBERG
1764

QVATVORVIRIS
ILLVSTRISSIMIS ATQVE EXCELLENTISSIMIS
SERENISSIMI
DVCIS ELECTORIS SAXONIAE
IN
SACRO CONSISTORIO
COMITIBVS
ACADEMIARVM SAXONICARVM
CVRATORIBVS SAPIENTISSIMIS
OMNIS LIBERALIS DOCTRINAE
FAVTORIBVS AC PATRONIS
INDVLGENTISSIMIS
DISSERTATIONEM HANC INAUGVRALEM
MAXIMA REVERENTIA
ET VERISSIMA DEVOTI ANIMI PIETATE
D. D. D.

IOANNES FRIDERICVS AVGVSTVS BAVMANN

CVATVOTYBIS

ILVA FRIE MIE VA CAI AKKIKHTISSIHS

BRNNISIMV

DYTO TIBOTORS FAXONIAV

ED OHO GON 818 T O LIO

COHTIHS

MYLACIYOKAB MYRABNDIA

COVADITHS AKKIKHTISSIHS

OM STI P B S M A D S O C T R I A V

LIVORNYA AC TARBOS

BRNNISIMV

MYLACIYOKAB MYRABNDIA

AKKIKHTISSIHS

ITATIE IHVA ITOTI ANINI FITATE

MYLACIYOKAB MYRABNDIA

COVADITHS AKKIKHTISSIHS

BRNNISIMV

DYTO TIBOTORS FAXONIAV

BRNNISIMV

CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

Prooemium. § 1. 2. 3.

Sectio prior. Educationis notio et descriptio

1) Educationis notio, § 4.

2) Ipsa educatio absoluitur

a) mentis et ingenii cultu,

Facultates ingenii sunt formandae § 5.

Superstitioni obuiam eundum est. § 6.

Memoria est exercenda, neque tamen solis formulis, rebusque inutilibus referenda § 7.

In scholis vrbanis, iisque inferioribus multa adhuc docentur, non nisi in spem futurae obliuionis; in quibus tamen, vti in paganis, potior vitae futurae ratio habenda esset. § 8.

In legibus patriis pueri sunt instituendi § 9.

Forma ciuitatis et regiminis describenda est, multaeque opinioniones praeiudicatae, intuitu illorum inueniendae, sunt euellendae § 10.

Obiicitur: sensum legum grauem a pueris nondum percipi posse, praetereaue leges praecipuas singulis diebus dominiciis iisque determinatis quotannis in ecclesiis publice recitari. § 11.

Obiectionis solutio § 14.

b) animi et morum cultu § 13.

Ad hoc efficiendum valet praeprius disciplina Christiana; neque formulae, quibus multi adhuc inhaerent, praepceptorum et parentum culpa § 14.

More recepto educati, boni euadere non possunt ciues § 15.

Hoc vt euitetur, quid faciendum? § 16.

Obiicitur: deficere peritos praepceptores; qui etiamsi non desint, institutionem tamen illorum nil proficere, dum parentum alii, egestate cooperti, liberos a schola arceant, alii eos domi corrumpant, adeoque delictis adsuefaciant, alii illegitimorum nullam curam agant § 17.

Solutio obiectionis § 18.

Obiicitur porro: nimia indulgentia parentum liberos facit segnes. — Resp. § 19.

Denique obiicitur: pueros per tempus aestiuum a parentibus a scholis retineri. — Resp. § 20.

c) corporis cura

Illius sanitas conseruanda est et augenda § 21.

Eidem aliqua dexteritas et agilitas comparanda. § 22.

Sectio posterior. Tali puerorum educatione, qualis Sectione I descripta est, delicta in ciuitatibus vere minuuntur.

1) poenae enim non sufficiunt § 23, neque

a) sceleratos ipsos emendant, siue ergastulo, siue opere publico, siue diuturno carcere puniantur. § 24.

Sola morum emendatio delicta minuit. § 25.

Obiicitur: morum emendationem non negligi, siue carcere inclusos, siue ergastulo mancipatos respicias. — Resp. § 26.

Aliquot consilia § 27,

Ad poenas capitales, quia vita priuati, ciuitati non amplius nocere possunt, hoc loco non spectandum. § 28.

b) neque alios a delictis deterrent. § 29.

Poenarum capitalium in spectatores effectus § 30.

2) Minuuntur delicta sola bona puerorum educatione. § 31.

Delictorum caussae praecipuae § 32.

a) animi commotiones § 33. Singulae species § 34. bona educatione coercentur § 35.

b) ignorantia. Exempla § 36. Mederi potest illi bona educatio § 37. Alia exempla § 38. 39. Commendatur bona educatio § 40.

c) egestas, § 41, quae oritur

a) ex imperitia § 42. Cuius remedium praesentissimum bona educatio § 43.

β) socordia § 44.

γ) intemperantia; quo pertinet ebrietas, § 45; luxus, § 46; Optimum propugnaculum est B. E. § 47.

Obj. Omnia fere, hoc in libello proposita, piis votis sunt annumeranda. — Resp. § 48.

Neque tamen adultiores negligendi. § 49.

Conclusio, § 50.

PRAEFATIO.

In tanta illa librorum libellorumque, quibus haec nostra aetas superbit, copia, cum deliberanti mihi, quam scribendi materiam eligerem, non occurreret peculiaris, ubi de maxima, quae e bona puerorum educatione in rempublicam redundet, utilitate agatur, scriptiuncula: consilium cepi, de hoc argumento, quatenus facit ad crimina potissimum e ciuitatibus proscribenda, aut saltem minuenda, vberiori commentatione exponendo.

Qua in re, quanquam lubenter confiteor, nihil noui, quod non iam prudentissimus et optimus quisque intellexerit et optauerit, me prolaturum; praesertim cum, accitis passim praeceptoribus peritioribus, et, ne hi deficiant, seminariis constitutis, scholis adeo, ubi pueri egeni gratis instituantur, exstructis, propositis porro melioris notae libris, et disciplina scholastica tandem ad meliores mores redacta, aetati puerili optime fuerit prospectum: vituperandus tamen, in neglecta

crebrius meliore ista sobolis educatione, haud prorsus videor, si ad argumentum, quod proposui, tractandum me accingo, omnem omnino rem ex alia eaque longe diuersa parte contemplaturus.

At vero cum viri doctissimi, iidemque de puerili aetate meritissimi, multa multis in libris de educatione iam exposuerint: hanc mihi legem scribendam censui, vt, quae ad libelli argumentum proxime pertineant, ea sola suo quaeque loco afferrem, et, cum plerique honestioris conditionis parentes liberorum saluti satis prospicere soleant, ciues potissimum inferiorum ordinum respicerem.

Restat, vt Lectores obseruantissime implorem, velint hoc specimen beneuole excipere atque diiudicare; quae humanitas et lenitas, tantum abest, vt in studiis tractandis remissioem me faciat, vt potius ad maiorem diligentiam me excitet, mihi que, quantum aliquando et academiae et ciuitati, ne tot tantisque beneficiis, a patria in me collatis, indignus reperiar, praestare debeam, semper in animum reuocet. Ita valete, et mihi et studiis simul meis in posterum fauete!

DE
TVTISSIMA CRIMINVM IN CIVITATI-
BVS MINVENDORVM VIA
HOC EST
BONA PVEORVM EDVCATIONE.

§. I.

Quae incrementa ex virorum doctorum studiis iamiam ceperit iurisprudencia criminalis; quantum THOMASIIS, LEYSERIS, MONTESCVSIIS, BECCARIIS, HOMMELIIS, QVISTORPIIS, MEISTERIS, aliisque aetatis nostrae luminibus debeat; inter omnes satis constat. Poenas duriores et crudeliores exceperunt mitiores et humaniores; reorum criminis sors, durante quaestione, est tolerabilior; delictorum numerus angustioribus circumscriptus limitibus ita quidem, vt multa, quae olim criminibus annumerarentur, hodie non amplius sint; crudelitas in facinorum veritate eruenda cessit humanitati; variae poenae aut plane sublatae, aut aliae, eademque prioribus efficaciores, in illarum locum substitutae; verbo, laetior nostra aetate est facies iurisprudenciae criminalis atque humanior.

Vnde certissima spes affulget, fore, vt, quae adhuc optanda supersint, coniunctis optimi et doctissimi cuiusque viribus, subin-

de ingenii face collustrentur, collustrata ab iis, qui rempublicam administrant, beneuole excipiantur, itaque excepta effectui dentur; vt adeo iurisprudentiam criminalem aetas nostra transmittat ad posteros perfectiorem et politioem.

§ 2.

Fuerunt, et in his immortalis BECCARIA, qui contra poenas capitales acriter disputarent. Haud iniuria tamen alii, cum hominibus plerumque vita omnibus rebus carior sit, poenas capitales nequaquam penitus abrogandas esse existimarunt. a)

§ 3.

Vtcunque sit, omnes certe cordatiores mecum conspirabunt, poenas malis, quae genus humanum premunt, necessariis accensendas, optandumque esse, vt scelera, non scelerati extirpentur; b) nec crimina tam puniantur, quam praecauean-

a) Vid. *Geist der Cr. Ges. cap. I. et III.* nec non A. L. IACOBI *Versuch einer Apologie der Todesstrafen.* Lemgo, 1776. Conf. praeterea D. CARL FERDINAND HOMMELS *philosophische Gedanken über das Criminalrecht, aus den Hommelischen Beccaria herausgegeben und mit einer Vorerinnerung und eignen Anmerkungen begleitet von KARL GOTTLOB RÖSSIG, Breslau, 1784. 8. p. 102. §. 51.*

b) De hac re vberius exposuit G. H. AYRER *in Commentat. ad Beccariana consilia de delictis prudentig legislatoria cauendis.* Conf. libellus, quem de eadem re F. H. DAHLBERG conscripsit: *Ariston, oder über die Wirksamkeit der peinlichen Strafgesetze, Erfurt, 1782. 8.* vbi Perillustris auctor ostendit: poenas ad tempus solummodo occurrere malo, nisi fons, ex quo delicta promanent, exploretur, idemque obturetur.

tur. c) Quorum quidem praecipuas causas in hominum ignorantia, et vehementibus, quae intelligentiae se subtraxerunt, animi perturbationibus, et summa omnium, ad vitam sustentandam necessariorum, inopia quaerendas esse, cum quilibet, rerum humanarum non plane incuriosus, experientia quotidiana vsuque communi edoctus, animaduertat, iudicesque huius rei indagandae maxime idoneam, iis, quae in commentariis iudicialibus legerunt, in memoriam revocatis, occasionem nanciscantur: necesse est, ut obturatis, quos dixi, criminum fontibus, eorum causas remoueantur. Quo facto, delicta ipsa evanescent, certe imminuentur. Neque hoc difficile est intellectu. Qui enim, aut officiorum, aliis praestandorum, nec non legum patriarum, ab ipsis seruandarum, ignorantia laborantes, aut pravis animi commotionibus stimulati, aut egestate summa coacti, in crimina praecipites se dederunt, ii, si officiorum legumque patriarum cognitione imbuti, in coercendis et circumscribendis animi affectionibus exerciti, ad vitae genus, quod ipsos aliquan-

c) Hoc nomine XENOPHON (*Cyropaed. lib. I, c. 2*) iustis extollit laudibus Persas, artem istam eximie callentes. Δοκοῦσιν, inquit, οι νομοι (sc. Περσῶν) ἀρχεσθαι τοῦ κοινοῦ ἀγαθοῦ ἐπιμελούμενοι· οὐχ ὁμοίως γὰρ ταῖς πλεῖσταις πόλεσιν ἀρχονται. Αἱ μὲν γὰρ πλεῖσται πόλεις, ἀφείσαι παιδεύειν, ὅπως τις ἐθέλει, τοὺς ἑαυτοῦ παῖδας, καὶ αὐτοὺς τοὺς πρεσβυτέρους ὅπως ἐθέλουσι διάγειν, ἐπιτάττουσιν αὐτοῖς μὴ κλέπτειν, μὴ ἀρπάζειν, μὴ βία εἰς οἰκίαν παρῆναι, μὴ παίειν, ὃν μὴ δίκαιον, μὴ μοιχεύειν, μὴ ἀπειθεῖν ἀρχοντι, καὶ τὰλλα τὰ τοιαῦτα ὡσαύτως· ἢν δέ τις τούτων τι παραβαίῃ, ζημίαν αὐτοῖς ἐπέθεσεν. Οἱ δὲ Περσικοὶ νόμοι προλαβόντες ἐπιμέλονται, ὅπως τὴν ἀρχὴν μὴ τοιοῦτοι ἔσονται οἱ πολῖται, ὥσε πονηροῦ τινος ἔργου ἢ αἰσχροῦ ἐφείσθαι.

do sustentaret, rite praeparati, in eoque bene eruditi fuerint, ii, inquam, haud dubie iidem boni et vtilis ciues reipublicae euasis-
sent, qui, ignorantia, animi perturbationibus et egestate acce-
dente, prauis et perniciosi extiterunt. Vnde luculenter apparet,
ad crimina in ciuitatibus, nisi plane proscribenda, saltem minuenda,
bonam puerorum educationem maximam vim habere, et poenis
longe tutiorem viam esse statuendam. De qua quidem re paullo
fusus exponere, animo constitui.

SECTIO PRIOR

Educationis notio et descriptio.

§ 4.

Ac primum quidem, cum, Cicerone admonente, omnis dis-
putatio a definitione incipere debeat, et alii aliam educationis sibi
formare soleant notionem: e re esse videtur, quae bona educatio
dicenda sit, describere, atque, interiectis passim consiliis, admo-
nere, in quibus in educanda sobole plerumque peccetur.

Meretur autem bonae educationis nomen, quae non solum ad
mentem formandam, animumque excolendum, sed etiam ad cor-
poris vires exercendas easque conseruandas et augendas idonea est.
Quo quidem munere fungi debent et praeceptores, quorum curae
et disciplinae pueri committuntur, et parentes, dum liberos secum
domi habent. Vtraque pars nisi in officiis, quae ipsis incumbunt,
seruandis, summam adhibuerit diligentiam, quicquid vnius studio
et opera aedificatum est, alterius incuria et negligentia destruitur.

Attamen cum propter parentum aut imperitiam, aut negotia,
ex vitae genere, quod tractant, gerenda, pueri praeceptoribus

publice constitutis erudiendi tradantur, in hac educationis parte sola subsistamus, et quae hinc illinc admonenda videbuntur, ingenue et liberaliter adiiciamus.

§. 5.

Ad bonam igitur puerorum institutionem primum requiritur, ut mens aut ingenium illorum rite excolatur. Hinc opus est, ut omnes, quae a natura non frustra innatae et insitae sunt hominibus, mentis facultates eliciantur atque exercentur, memoria autem ipsa rerum utilium, et ad vitam futuram necessariorum cognitione imbuatur. Nam mentis viribus neglectis, nunquam ipsi cogitant, neque in res obuenientes attendent; non ultra ea, quae didicerunt, insurgere audebunt, et ducibus in qualibet re expedienda indigebunt. Sic haud raro accidit, ut in negotiis tractandis, in opificiis exercendis, quae a maioribus acceperunt, ea sola retineant, neque eorum, quae recentiori aetate inuenta sunt, quanquam magna utilitas exinde expectanda sit, rationem habeant, rei nouitate percussi. Sed quid opus est verbis? Lumen accendendum est menti, propulsatis tenebris.

Omnia tamen, quae aetati puerili traduntur, ita comparata esse debent, ut proposita intelligat, et summam in iis intelligendis operam collocet. Quare singula luculenter enarranda et exponenda, adeoque, si fieri potest, iustis exemplis illustranda et inculcanda sunt. Praeterea, an omnia rite ceperint pueri, interrogando experiendum est. Nam si notiones rerum falsas conceperint, aut, quae tradita ipsis fuerunt, non intellexerint, innumeros in errores

incident, pro iusto iniustum, pro honesto turpe, vtile pro inutili abebunt.

§ 6.

Praeprimis elaborandum est, vt superstitione, quae in classibus ciuium inferioribus multos adhuc habet propugnatores, cum tota vitiorum cohorte extirpetur et proscribatur. Adhuc enim inueniuntur, qui *αὐτοχέρως* suppetias ferre, eosque a mortis periculo liberare, eosdem, iam defunctos, attingere vltimumque illis honorem habere dubitent; qui iurisiurandi formulae sensum, a iudicis intentione valde alienum, subiicientes peierent; qui iuramenti religionem violent; qui herbis se ab hominibus perfidis fascinari posse opinentur; qui circumforaneis et impostoribus, accepta pecunia et victu praestito, thesauros absconditos, artibus magicis adhibitis, e terrae visceribus elicere se posse gloriantibus, summam fidem habeant; qui singulos eosque statutos dies laboribus suis et conatibus praepimis fauere sibi persuadeant. Quis tamen omnes opiniones praeiudicatas, quibus inferiorum ordinum homines laborant, enarrare possit? Ex his enim, quae diximus, iam apparet, quam necessarium sit, mentem inuenilem collustrare, cum, si istae in puerorum animis radices egerint, ex adultioribus aut magna cum difficultate aut plane non euellantur. Ingenio exercitato et exculto, consilia cogitato capient, eaque rite exsequentur; cum e contrario prius agant, quam rem bene perpenderit et animo agitauerint. Ex tali agendi ratione multa profluunt vitia, quid? quod ipsa adeo delicta. Hac vnica via pueri, de iis, quae audiuerunt et didicerunt, persuasi, idonei euadunt ciues, neque opus est, illos poenarum minis in officio retinere.

§ 7.

Sed et memoriae studendum est. Hac enim neglecta, quomodo pueri, quae in scholis tradita et deinceps discenda sunt, tenebunt? Memoria nisi praecepta, res vtilis, regulas, secundum quas agendum est, nisi exempla, e vita communi hausta, collegerit; deficit materia ingenio, et actionibus incitamenta. Quanquam intelligere non possum, quomodo adhuc puerorum memoria formulis innumeris ediscendis excrucietur: tanti tamen morem istum permulti parentes et praeceptores faciunt, ut in eo solo seruando acquiescant, et liberos ac discipulos, talibus formulis imbutos, sapere didicisse sibi persuadeant; ea vero, in quibus cardo educationis versatur, id est, intelligentiam rerum earumque iustam ad vitam accommodationem aut plane negligant, aut ita tractent, ut veram utilitatem aetas puerilis exinde percipere nequeat. Cruda vero cognitio, quae solis verbis, iisque haud raro obscuris et mysticis, formulis non intellectis, consistit, non solum maximos saepe peperit errores, sed etiam vitia adeoque delicta. d)

d) Inspicias, quaeso, libellum: *Criminalgeschichten, aus gerichtlichen Acten gezogen. Erster Theil, Berlin, 1792. S. p. 177. XIV.* „Dseyfacher Mord aus Liebe zu Gott und den Ermordeten“. — Opilio, qui, rebus suis bene gestis, in inuidiam vicinorum et odium incurrit, omnia, quae iniusto loco, neque opportuno tempore fieri videbat, sui ipsius moerore adficiendi causa, fieri putans, tres, quos habuit liberos, ne, corruptis moribus, saeculum sequerentur; id quod, omni diligentia adhibita, euitari posse, sibi fingere non poterat; Abrahami, Isaacum Deo immolare parati, exemplo incitatus, morti obtulit victimas.

§ 8.

Optandum porro est, vt in scholis vrbanis potissimum, iisdemque inferioribus, nec non in paganis, potior vitae generis, quod quilibet aliquando eligere et amplecti velit, habeatur ratio; nec plurima, quae non nisi in spem futurae obliuionis magna cum intentione et molestia docentium pariter atque discentium proponuntur et percipiuntur, adhuc doceantur. Quibus in scholis quando discipuli in iis solis, quae aliquando ad viuendi rationem, cui se dedunt, ipsis prosunt, praeparati fuerint, satis didicisse videntur. Ast eheu! contrarium multis in locis adhuc obtinet. Quicquid illorum vitae generi vtile est, hoc non docetur; quibus supersedere aliquando possunt, ea discere coguntur. e)

Aliud exemplum inuenies eodem in libro, p. 201. XVI. „*Mord aus religiöser Schwärmerey*“. Daniel Voelknerus, vitae pertaesus, quo maturius salutis aeternae particeps fieret, hanc vnicam sibi patere viam, vita sua, alio occiso, excidendi, existimauit; quo facto, quantum tempus, ad futuram vitam se praeparandi atque a Deo veniam impetrandi, sufficeret, tantum sibi superfore opinatus est. In carcerem coniectus, a contubernali, qui olim fuerat, quos antea valde dilexit libros, sibi apportari iussit. Erant: Arnds wahres Christenthum, das Paradiesgärtlein, Freylingshausens Gesangbuch, und das Hallische goldne Schatzkästlein.

Conf. denique p. 131 exemplum notum huius rubri: „*Ermordung eines Kindes aus Schwermuth und religiöser Schwärmerey*“.

e) Multa cuilibet sua ipsius experientia suggeret exempla. Conf. tamen RUDOLPHI ZACHARIAE BECKERI libellum: *Ueber Bürgerschulen, eine Gelegenheitsschrift*. Gotha 1794. 8.

§ 9.

Praesertim opus est, vt pueri, quia, societatem ciuilem ingressi, secundum leges patrias viuere et agere debeant, eorumque actiones ex illis iudicentur, aliquam earum notitiam habeant. Quod si omissum fuerit, saepius, quicquid commode euitare potuissent, suo detrimento ac periculo discere coguntur. Neque raro ignorantiae excusatione vtuntur, cum quemque, quid in ciuitate, cuius membrum est, liceat, aut non liceat, nosse oporteat. His talibus excusandi generibus tamen, praecipuis legibus, quarum cognoscendarum discipuli, e schola dimissi, occasionem non amplius habent, in scholis expositis, facile obuiam iri potest. Adde, quod non deficient libri, ex quibus praeceptores, quae ex legibus domesticis pueris scitu necessaria sunt, f) haurire possint.

f) Quod ad Saxoniam attinet, nuper prodiit: *Auszug aus denienigen Churfürstl. Sächsischen Landesgesetzen, welche den Unterthanen ins besondere zu wissen nöthig sind, zum Gebrauch für Stadt- und Dorfschulen, von M. IOH. CHRIST. FÖRSTER. Leipz. 1794. S. —* qui libellus quatuordecim capitibus leges proponit de exercitio religionis; de officiis subditorum erga magistratus; de tuenda ciuium vita, eorumque re familiari bonaque fama atque existimatione conservanda; de matrimoniis; de iuribus et officiis parentum et liberorum erga se; de mutuis herorum famulorumque mercenariorum officiis; de tutela et cura; de officiis opificum eorumque collegiorum iuribus; de rusticis eorumque operis praestandis; de salute et felicitate ciuium externa promouenda; de variis rebus, quae ciuibus et subditis scitu sunt necessaria; de modo, ius suum in foro persequendi.

Facit huc opusculum illud egregium: *Kurze Vorstellung der in Chursachsen üblichen Rechte, insonderheit mit Rücksicht auf den*

§ 10.

Neque tamen in solis legum verbis subsistendum est, sed, oblata opportunitate, exponendum simul de legum et magistratuum necessitate, de obsequio illis praestando, de causis sanctionum ipsarum, et de similibus, quae tempus postulat, rebus aliis. Inferiorum enim classium ciues saepissime sibi persuadent, magistratus, ad potestatem ostentandam, poenas infligere immorigeris, neque eorum quicquam interesse, vtrum facinorosi puniantur, nec ne. Haec et alia quantum ciuitatis saluti obsint, nemo infitiatum ibit. Hinc elaborandum est, vt pueri iam intelligant, principem solam eam ob causam, vt subditi secure viuant, poenis subiicere sceleratos; ideoque, si delicta non impunita maneant, omnium ac singulorum interesse. Sane, cum fraudibus et machinationibus et illicitis acquirendi modis nil frequentius in vita communi occurrat, operae pretium est, vt haec potissimum delictorum species accurrate et diligenter exponatur. Nec superuacanea censenda causarum commemoratio, cur hoc vel illud delictum poena sequa-

Bürger und Landmann, entworfen von IOH. CHRISTOPH REGNER. Leipz. 1780. gr. 8.

In Borussia libellus extat, in vsum subditorum concinnatus: *Unterricht über die Gesetze für die Einwohner der Preussischen Staaten, von zween preussischen Rechtsgelehrten C. G. S. und C. G. Berlin und Stettin, 1793. 8.*

Terris Wirtembergensibus scriptus est liber: *Die Pflichten und Rechte des Wirtembergischen Bürgers in einem gemeinnützigem Auszuge aus den Landesgesetzen, Landesgrundverträgen, Rescripten, u. s. w. Ein Versuch über die Güte der Wirtembergischen Verfassung, von FRIEDR. GUTSCHER, Stuttgart 1794. 8.*

tur. Necessesse enim est, vt homines intelligant, neque a iudicum arbitrio, neque a casu pendere, quod haec vel illa actio prohibeatur et puniatur; sed non nisi actiones noxias vetari. *g)* Sunt praecipue pueris meliores notiones de iureiurando eiusue vi tradendae. Etenim haud raro accidit, vt adulti, si aut in sua causa iusiurandum praestandum, aut in aliena testimonium exhibendum, et ipsa adsertio iuramento confirmanda sit, tanto terrore et metu percellantur, vt causam deserere, durissimum et iniustissimum quidque perpeti atque adeo delictorum rei esse, *h)* quam ad illud praestandum se accingere malint. Cum porro multi inueniantur, qui, vt delicta magistratibus indicent, et contra facinorosos testimonium edant, a se impetrare nequeant, praeceptorum sane erit, hos alios errores, quibus multi adhuc laborant, tenellis puerorum animis eripere eosque ad omnia, quae ciuibus incumbunt, officia rite seruanda adhortari. Nihil praeterea frequentius occurrit, quam vindictae priuatae exercitium. Homines enim inculti iniurias, quas acceperunt, retorquere, verberibus lacerati, par pari referre solent. Vnde inculcanda aurea Quintiliani verba: *Nos ideo inquietis, magistratus legesque a maioribus nostris accepimus, ne sui quisque doloris vindex sit, et assiduae scelerum caussae se refellant,*

g) Vnde auctor libelli: *Entwurf zu einem Sitten- und Strafgesetzbuche, Ulm 1793* — laudandus est, qui in enarrando quolibet crimine rationes legislatoris eruit, quibus commotus hoc vel illud delictum prohibuerit.

h) Exemplum habes in *den Criminalfällen für Rechtskundige und Psychologen Frankf. u. Leipz. 1794. 8. p. 74. III.* „Geständniss eines begangenen Ehebruchs durch Furcht für den Eid bewirkt.“

si ultio crimen imitabitur. Damnum accepisti: erat lex, forum, iudex: nisi vos iure vindicare pudet. i)

§ 11.

„At, reponunt, quid opus est, in scholis patrias exponere
„leges, cum, si Saxoniam spectes, praecipuae leges in ecclesiis
„determinatis diebus dominicis publice recitentur? k) Cui ergo
„bono, aetatem puerilem imbuere legum notitia, cum ei multa
„alia, eaque scitu maxime necessaria, sint ediscenda, et ex illius
„inconsiderantia inepta iudicetur, ad res graues et serias intelli-
„gendas et percipiendas; quas quo minus ad se pertinere existimat,
„eo facilius ex animo dimittet.“

§ 12.

Speciose quidem; tamen facile diluendum. Primum enim,
vt a posteriori incipiam, inquirere liceat, an ideo legum domesti-

i) Declam. 13. Idem fere legi potest in l. 14 C. de Iudaeis, vbi Imperatores, *ideo*, inquiunt; *iudiciorum vigor, iurisque publici tutela in medio constituta est, ne quis sibi ultionem permittat.*

k) Solenne est in Sax. Electorali, publice praelegere 1) bis singulis annis ordinationem, quam vocant, matrimoniam, simul cum mandatis de sponsalibus militum d. 18 Mart. 1709 et d. 5 April. eiusdem anni emissis 2) bis quotannis M. de infanticidis 3) M. de dierum domin. sanctitate (Sabbathsfeyer) 4) mand. de vindicta priuata (Duellmandat) 5) mand. de inspectione, in mente captos et animi intemperie, quam vulgo *μελαγχολίαν* vocant, laborantes gerenda, et modo seruando, si de eius, qui fata sibi properauit, animo, se ipsum occidendi satis constat 6) M. de incendiariis 7) de furto et latrocinio, nec non de seruandis iis, qui aut vndis suffocati aut manu violenta pressi perierunt, aut pro mortuis habentur.

carum tractatio, quia argumentum illarum a pueris intelligi et capi nequeat, e scholis proscribenda sit? Quod si posueris, alias quoque res, neque minus graues et intellectu difficiles e scholis migrare iubeas. Quid maius cogitari potest, quam religionis Christianae praecepta, omnino non ita comparata, vt facile intelligi possint. Neque tamen vllus, sana praeditus ratione, vt pueri in illius principiis peregrini et hospites maneant, suadebit. Omnia redire videntur ad praeceptoris et dexteritatem et voluntatem, vt, quae commoda exinde expectanda sint, pueris eluceant. Qui si dotibus, ad eos instruendos necessariis, careat, neutra in re cum laude ac fructu versabitur, neque eos ad magnam istam vtilitatem, ex religionis et legum ciuiliu cognitione in illarum cultores redundantem, vnquam adducet. Infantes tamen legum patriarum scientia, quae adultiori aetati reseruanda est, nondum imbuendos esse, per se intelligitur. Discipuli vero, aliquot annos, antequam e schola prodeunt, leges domesticas edocti, boni et probi euadent ciues, vti in his neglecti, in vitia adeoque delicta incurrunt, aut saltem in hominum perfidorum et lucri sordidi cupidorum insidias incidunt, neque vlla sibi ratione consulere possunt.

Neque porro, quia aetas puerilis aliis rebus, scitu maxime necessariis, imbui debet, superuacanea censenda est legum patriarum notitia. Praeceptores si tempus iustius disponere et collocare scirent, aliarum rerum et legum vernacularum non metuendus esset concursus. Harum enim cognitio non minus per totam vitam ciuibus prodest, quam illarum peritia. In iuribus domesticis non hospites, de ciuitatis forma rectius iudicabunt, neque, iudicium praecipitando, prudentiorum risui se exponent. Quo

magis legum salubritatem, principis eorumque, qui illi a consiliis sunt, curam et diligentiam, in regunda ciuitate conspicuam, cognouerint, eo ad ditiones solo patrio, eo contentiores sua sorte erunt, considerantes, nullum opus humanum omnibus absolutissimum esse numeris; neque vnquam ipsi seditioes excitabunt, neque alios, tumultum concitantes, sequentur, sed potius omnes vires, ad eum sedandum, lubentissime intendent.

Legum denique praecipuarum recitatio in ecclesiis nostris quid prodest? Saepissime videmus concionatores hac in re nimis negligentes et inconsiderantes, qui officio suo satisfacere aut nolunt, aut nequeunt. Quae quidem incuria si corporis infirmitate nititur; concione, antea habita, defatigati, non accusandi sunt; sin minus, profecto culpam habent. Hi enim, dum leges, voce alta et magna praelegendas, exili et depressa exentiunt, auditoribus, illarum capiendarum, tempus non relinquunt, et, dum eo ipso ipsi leges flocci habere videntur, auscultantium attentionem remittunt. Attamen, cum ipsi viri, bona voce bonisque lateribus praediti, si omni vocis et laterum cum intentione per horam verba fecerint, defatigentur: consilii est, vt, in quibus locis plures parochi inueniuntur, alius, oratione sacra finita, hoc negotium, praemissa breui admonitione, in se suscipiat, ruri contra scholarum moderatores, eo nomine a parochis, quibus subsunt, rite praeculti et instructi, istud munus obeant. At faciamus, hac in parte nihil vitio dari posse concinatoribus; num publica legum praelectio sufficiet? Experientia contrarium docere videtur. Dum leges recitantur, alii res alias cum vicinis confabulantur, dicentes, se, audito legis

rubro, pluries illius argumentum audiuisse; quanquam, si pluries audita interrogati fuerint, laborent, nec verbum quidem repetant. Alii adeo subridentes sibilant, ad se leges non pertinere, notitiamque illarum iureconsultis esse relinquendam; se neque latronibus, neque furibus, neque incendiariis, neque infanticidis adnumerandos esse, neque unquam tale delictum commissuros. Alii tandem, iisque prudentiores, attendunt, neque tamen, sola parte legum intellecta, animoque defatigato, finem expectant; sed vicinorum exemplum imitantur, contenti, si quid illarum sciant et teneant. Sic recitatis legibus, pars, quae illis contineantur, plane ignorat; pars pauca tantum arripit, quae ne ipsa quidem intelligit, nedum cum aliis communicare potest. Quae *Φαινόμενα* uti tristissima, ita verissima. Quid denique de illis dicam, qui dissolute viuentes, et delicta cumulant, sacra publica fugiunt? Quomodo his aequae ac illis consulendum erit? Fieri potest, si aetas puerilis iam in scholis legum patriarum cognitione imbuatur. Hic enim pueri de illarum grauitate, illasque addiscendi necessitate persuadendi sunt; hic difficilia interpretando explananda, et rationes, cur ita sancitum fuerit, accurate exponenda; hic discipuli, ut istas religiose observent, crebrius adhortandi. Ut mittam, non omnes, quarum notitia ciuibus commendanda est, leges domesticas publice recitari, earum in scholis tractatio hoc habet praecipui, quod istae, rite explicitae, quo aptior, ad quaelibet capienda et retinenda, memoria puerilis censetur, eo firmiter animis imprimantur. Attamen cum sequior aetas facile sinat quaedam e memoria elabi, laudabilis iste mos, vernaculas leges in panegyri sacra certis diebus dominicis quotannis recitandi, ad lacunas supplendas multum faciet, nec

quisquam eandem opportunitatem, res tam serias scituque necessarias in memoriam reuocandi, e manibus dimittet.

§ 13.

Cum vero non sufficiat, solas mentis et ingenii vires excolere, et memoriam rebus vtilibus locupletare; educatio potius, nisi pueri simul secundum ea, quae audiuerant, agere discant, vituperanda maneat: necesse est, vt facultatibus ingenii formandis, animi et morum accedat cultus, de quo nunc paucis erit agendum. Ingenii enim vires si male dirigantur, neque morum probitate saluti communi accommodentur, multas calamitates in ciuitatem inuehunt. Quemadmodum ignis, iniusto loco neque maturo tempore excitatus, confector et consumtor omnium est, e contrario vero splendet et fouet: ita sola cognitio, nisi morum integritate regatur, multa vitia adeoque delicta in comitatu habet, eoque ciuium securitati perniosa euadit. Quicumque rerum gestarum monumenta vel primis labris attigit, haec non audebit infitiari.

§ 14.

Ad mores vero poliendos praeprius facit iusta officiorum expositio. Quae cuiuslibet officia sint, ea theologiae pars, quae disciplinam Christianam continet, proponit; quanquam negari nullo modo potest, istam quoque theologiae partem, quae de dogmatibus aut credendis agit, minime negligendam esse. Itaque non sufficit, vt supra admonuimus, memoriam puerilem receptis precum, hymnorum, psaltrorum Dauidicorum, pericoparum, quas vocant, formulis torquere, verborum obscurorum et mysticorum aucupio occupare, distinctionum inutilium et diuisionum absur-

darum copia lucupletare. Qui mos quod adhuc passim maximam obtineat auctoritatem, culpa praeceptorum est aequae ac parentum. Quos si interrogaueris, cur eiusmodi nugis et ineptiis tanta cum pertinacia et tenacitate inhaereant: se ita a suis praeceptoribus et parentibus edoctos esse, neque rite seruatis, quos a maioribus traditos acceperint, moribus, salutis aeternae iacturam facturos, mirantes et indignantes respondebunt. Ac si praeceptorem forte aut ludi magistrum prudentiorem, qui a via, hucusque a plerisque calcata, paululum deflectere audeat, hinc illinc ceu raram in terris auem conspexeris, illum, tanquam novos deos inducentem, ut Socratem aliquando Athenienses, odio, calumniis adeoque conuiciis et opprobriis excipi, illiusque studiis gratias a suae aetatis hominibus vix haberi animaduertes. Vnde haud raro accidit, ut, quibus puerorum educatio cordi est, propter assiduitatem et animi integritatem, paruum, quod perceperant, lucrum amittant, 1) adeoque muneris iacturam faciant. Neque enim a parochis et magistratibus, ut par est, adiuuantur, neque, vindictam aduersariorum metuentes, auxilium istorum implorare conantur: vnde a laudabili proposito deterriti, receptas formulas more aliorum denuo decantare incipiunt. Habent porro nonnulli praeceptores tam pusilla studii prae-

1) Ne praeceptores nimis a discipulorum parentibus dependeant, optandum foret, ut aerarium scholasticum, quo parentes singulis mensibus pecuniam, pro sobole erudieunda soluendam, conferant, auctoritate publica constituatur. Idem, additis simul rationibus, quibus praeceptorum pensiones annuae augeri possint, suasit et enarrauit auctor *der freymüthigen Bemerkungen über Volkserziehung, Volkssittlichkeit und Volkswohlstand*. Leipz. 1790. 8.

mia, ut, si vitam viuere velint, ad labores alios, horis subseciuis exantlandos, se accingere cogantur; parentes adeo auari a se impetrare nequeunt, ut exiguam, quae debetur, pecuniam iusto tempore soluant. Quae, experientia teste, cum ita se habeant, non mirandum est, si praeceptores, quae negotia habent commissa, negligenter peragant.

§ 15.

Cuiusmodi ex institutione et educatione quanta damna reipublicae enascantur, describi vix potest. Ita enim eruditi, quales aliquando ciues euadent? Hi, ni me omnia fallunt, externos religionis, quam profitentur, ritus seruantes, atque a delictis grauioribus abstinentes, officiis iam satisfactum esse sibi persuadebunt. Alios decipere; patrimonio ludis vetitis, comissatione, splendidiore, quam reditus permittunt, vestitu, dissipato, ciuibus diligentioribus et parcioribus, nec non ciuitati molestiam creare; illicitam Venerem exercere; aliorum libidini inseruire; immodicum foenus sumere; famam optimi cuiusque rodere; ciues litibus vexare; lucri captandi causa, peierare; quamlibet iniuste acquirendi occasionem arripere; magistratus, principes, leges, religionem, et quaecunque probioribus sancta venerandaque sunt, cauillari non dubitabunt; alios, melius de ciuibus et ciuitate sentientes, seculo ita ferente, tanquam homines stupidos, qui suo ipsorum commodo obstant, despicientes. In qua descriptione, si quis est, qui me modum excedere existimet, is, quaeso, in hominum mores attendat, et comparatis cum illa omnibus iis, quae ipse animaduernerit, me vitis coloribus pinxisse fatebitur.

§ 16.

Quae damna vt euitentur, necesse est, ut pueri, quae didicerunt, vitae applicare et virtutem colere discant. Neque vero sufficit praecipere: hoc facito, illud omittito; ratio adferenda et explorandum, an pueri, quae tradita fuerunt, perceperint; ex illis quaerendum, quomodo hic illicue agendum sit; omnia exemplis illustranda et intellectui istorum aptanda. Adsuefacienda porro aetas puerilis, vt, antequam agat, an recte, an bene actura sit, secum deliberet; a teneris vnguiculis inde virtutis studio imbueda. Doceatur, prauas animi commotiones, omnium fere malorum fontem, reprimere, regere et mentis imperio subiicere; doceatur, malum otium fugere, parsimoniam colere, liberalitatem exercere, aliis, quantum fieri possit, inseruire, officia, qualicunque vitae generi se mancipet, sanctissime praestare; doceatur, veram felicitatem a ficta discernere, sorte sua contenta esse, quamlibet inhonestam, quantumuis lucrum et commodum capiendi, euitare viam, temperantiam amare, luxum, temporibus nostris longe lateque grassantem, patrimoniamque plena fauce deglutientem, eludere. Discat prudenter agere, religionis praecepta venerari, eos, quibus ciues subsunt, colere, de ciuitate, magistratibus, iisque, qui summae rerum praesunt, modeste iudicare, suum cuique tribuere, famam illaesam intactamque seruare, bonae aliorum existimationi consulere, publica instituta aestimare et pro virili adiuuare, suae vtilitati publicam praeferre, legibus patriis obtemperare, litium occasionem euitare, inceptasque sine acerbitate et malitia perorare. Erudiatur denique, rebus omnibus animatis misericordiam imperitari, neque vnquam committere, vt animalcula cruciatibus angan-

tur, multo minus mutilentur, aut bestiae, quibus in oeconomia exercenda vtantur, mansuetae male tractentur; quippe quod animi sensus extinguuntur, iisque extinctis, contra homines adeo crudeliter se gerendi, via panditur. His et aliis praeceptis pueri sunt imbuendi. Quae omnia quo altiores radices agant, praeceptores aequae ac parentes operam dare, et ipsi exemplorum sanctimonia discipulis et liberis praeire debent. Ita praeculti, si iuuenes rempublicam accesserint, labentur quidem, quia naturam humanam exuere non possunt; nunquam tamen errori vitioque succumbent, multo minus, vt delictis se contaminent, a se vnquam impetrabunt, persuasum sibi habentes: *tuta scelera esse posse: secuta non posse.* — *Primam et maximam peccantium esse poenam, peccasse; nec vllum scelus, licet illud fortuna exornet muneribus suis, licet tueatur ac vindicet, impunitum esse; quoniam sceleris in scelere supplicium sit.* — *Mala facinora conscientia flagellari.* — *Proprium esse nocentium, trepidare.* — *Bonam conscientiam prodire velle et conspici; ipsas nequitiam tenebras timere.* m)

§ 17.

„Bene admonitum, inquires, neque tamen adeo facile exsequendum. Quot, quaeso, inueniuntur, qui difficilem istam, puerosrite instituendi, artem calleant? Ac si passim, qui tali muneri par sit, repereris, quid tandem efficiet, si parentes, malis moribus praediti, turpibus animi commotionibus ducti, innumeris vitiis obruti sint, adeoque liberos ad male agendum, ad alios decipiendos, ad facinora committenda compellant; si alii tanta ege-

m) SEN. p. 97. p. 480.

„state et corporis infirmitate laborant, vt, adiuuantibus liberis, vix
„necessaria vitae sibi acquirant, ideoque liberos negligere atque a
„scholis arcere, nec non cum illis mendicantes in prouinciis circum-
„vagari cogantur; si multi liberorum, ex illicito coitu procreatorum,
„curam agere et publicae institutioni committere nolint. Quis
„pueros, cum ab arbitrio parentum dependeant, ad scholas frequen-
„tandas adiget, quis illos puniet? Quis parentes, nisi liberi cum
„illis victui comparando coniunctis viribus operam dent, sustentabit?
„Quis soluet, quae praeceptoribus debentur, si parentes ne has
„quidem impensas ferre possint? Quid proficiet institutio, ad
„quam et parentes et soboles cogantur?“

§ 18.

Non sine iure ista mihi opponi posse sentio. In scholis paga-
nis praecipue multi reperiuntur ludi moderatores, agro colendo
aut opificio exercendo aptiores, quam pueris erudiendis; praeterea-
que ita tardi et hebetes, vt perfectiores se reddere, et, quae
nesciunt, scire, ne animum quidem inducant. Cui quidem male,
constituendis seminariis, vbi ii, qui aliquando ludimoderatorum par-
tes agere cupiunt, erudiendi, et ad futurum vitae genus praepa-
randi sunt, facile obuiam iri potest; id quod vel plurimis in locis
observatur.

Negandum porro non est, parentes interdum de liberis tam
male sentire, vt non modo non salutem eorum negligant, sed
illos adeo perditae, cui ipsi dediti sunt, viuendi rationi adsuefa-
ciant, eosque, officia denegantes, verberibus ac minis ad turpiter
faciendum adigant, nec, liberos se meliores esse et liberaliores,

patiantur, eoque nomine ab aliis laudari. Cuiusmodi parentes si nacti fuerint liberi, optima praeceptorum consilia et praecepta aut nihil plane, aut parum proficient. At vero decet verbi diuini ministros, tales, quales descripsimus, parentes, quam iniuste agant, adiectis grauibus et luculentis, quae tempus et occasio suppeditat, argumentis, beheuole admonere, atque ad officium et frugem revocare. Quam admonitionem, cum viderint, nihil effecisse, immorigerorum nomina deferenda erunt ad magistratus, qui, si poenae leues non processerint, liberos parentum domibus exemptos, impensis parentum aliis iisdemque probioribus educandos tradant, modumque educationis ipsum diligenter obseruent, istosque, donec parentes resipuisse apparuerit, a societate eorum arceri iubeant. Etenim cum maximi momenti sit puerorum educatio, profecto e re ciuitatis est, non exiguam illi impendere curam et attentionem, neque sibi ipsi conuiuendo culpam contrahere.

„Attamen, quot, regeris, ruri inueniuntur verbi diuini ministri, qui hoc negotium lubenter subeant, cum haud pauci se nimis iam oneratos, alii, seueriore in educationem inspectione, exiguorum, qui multis in locis ex liberalitate singularum ecclesiarum pendent, redituum, iacturam se facturos esse conquerantur.“ Quemadmodum vero, quisquis honorifico isto nomine gaudet, ad quamlibet, felicitatis communis promouendae, miseriarum contra diminuendarum ansam arripiendam muneris ratione iam obstrictus est; ita immorigeros, nisi superiorum admonitiones processerint, poenis, vt ad frugem redeant, compelli posse, nemo dubitabit. Insuper negligentiae, haud raro ex calumniarum et vltionis metu oriundae, praesentissimum censendum est reme-

dum, determinatae pensiones, ex aerario publico erogandae. Vti denique singularum ecclesiarum antistites, vt soboles bene educantur, operam dare debent, ita et illos, qui pluribus ecclesiis praesunt, in istos, vt officiis suis satisfaciant, rite inspicere debere, facile est intellectu.

„Sed fingamus, verbi diuini ministros officio suo hac in parte „satisfacere, atque immorigeros magistratui indicare; quid faciendum, si qui magistratus, cum fere omnia, officii ergo peragenda, „cum socordia quadam pertractent, de rei nouitate conquesti auxilium denegauerint, omniaque vt more maiorum fiant, suaserint?“ — alii interrogabunt. Qua in re non alia patet via, quam magistratus, ad officia hoc nomine rite seruanda, sanctionibus obstringendi, ac, si qui segniter agere perrexerint, Consistoriorum, quae vocant, auxilium implorandi.

Quae iam admonui, cum propter diuersum, in quo magistratus, singulorum et plurium ecclesiarum antistites, ipsi tandem parochiani deprehenduntur, nexum, propter hominum infestorum eorumque sola sua commoda spectantium caluminationes, propter innumera, quae passim obstabunt, impedimenta, propter litium, quae exinde promanabunt, frequentiam, propter raram erga leges sapientissimas reuerentiam ⁿ⁾, propter longam, quae eiusmodi negotiis tractandis infertur, moram, propter negotiorum, quibus plurium ecclesiarum antistites impliciti sunt, molem, multis subiecta esse difficultatibus lubentissime confitear: optandum sane

ⁿ⁾ De qua re legi meretur III. CHRIST. DAN. ERHARDI libellus: *Versuch über das Ansehen der Gesetze, und die Mittel, ihnen solches zu verschaffen und zu erhalten.* Dresd. 1791. 8.

est, vt constituentur, qui educationi praesint, eaque sola occupentur; qui, quomodo soboles optime educari et institui possit, inter se deliberent, et quae e re ciuitatis esse inuenerint, iis in re scholastica emendanda vtantur; qui, vt omnia rite obseruentur, singulis, per singulos tractus constitutis, scholarum statum quater sexiesve per annum explorandi, de eaque re ipsos certiores faciendi, curam demandent, iisdemque, vt, quae vitiosa reppererint, recte atque ordine emendandi, et illos, de quibus conqueri audiuerint, seuerè, habita tamen aequitatis ratione, puniendi, ea sub lege, vt ipsis de omnibus accurate referant, potestatem faciant. o) Quod institutum quamuis nouas easque non modicas requirat impensas; eae tamen commodis, exinde redundantibus, incredibile, quantum praeponderentur. Est sane aliquid, aequales suos non minus, quam posteros, virtutis studio adsuefactos, felicissimos reddidisse et beatissimos. Qua in re quo parcior ciuitas existit, eo liberalior esse cogitur ad facinorosos carceribus et ergastulis detinendos.

„Parentes porro, ipsis liberis adiutoribus, ne panem quidem, „aliaque ad vitam necessaria lucrari posse faciamus; quis istos, ais, „si sobolem a scholis arceant adeoque egestatem mendicando tolerare tentent, vituperandos esse censeat?“ In parentibus quidem distinguendum esse videtur, istine, modo occasio adsit, adhuc labores sustinere, sibi que suis ipsi manibus victum comparare possint, an corporis infirmitate aut, aetatis imbecillitate impediti, labori nuntium mittere teneantur. Illis, ne, viribus malo otio con-

o) Idem nuper suasit auctor libelli, antea laudati: *Freymüthl. Bemerk. üb. Volkserziehung etc.*

sumtis, ciuibus diligentioribus, ipsi tandem ciuitati oneri sint, adeoque securitati publicae insidias struant, vires in vtili labore exercendi, proque virili parte vsibus publicis inseruendi, copia fieri debet; hi, ne miseris cooperti sibi ipsi manus inferant, aut in delicta se praecipites dent, sumtu publico alendi erunt. Vtrique hominum classi, quis tam inhumanus atque crudelis est, quin consuli, iisque recipiendis idoneas exstrui aedes optet? Nec vires humanas hoc superare experientia quotidiana docuit, cum instituta talia iam inueniantur, et, quantum reipublicae prosint, satis inter omnes constet. Sic enim multi ciuitati ciues conseruantur, qui antea non modo nihil prorsus proderant, sed communibus etiam impensis desidiosam vitam agebant. Cuiusmodi homines quo molestiores singulis ciuibus, quibus non modica summa pro annua stipe destinanda erat, hucusque fuerunt, et in multis adeo locis adhuc sunt, eo lubentius quilibet ad aedificia ista exstruenda et conseruanda conferet. Neque deerunt, qui, cum, immensis opibus adfluentes, heredem, in quem thesauros transmittant, neminem nacti fuerint, potiore publicorum operum ratione habita, liberalitati suae monumenta, aere perenniora ponant, et cum Horatio: ita non omnis moriar, dicant. Quoniam denique reipublicae interest, vtilis ciues habere et laboriosos, mendicorum autem circumvagantium cohortes ad officium reuocare, et securitati communi prospicere: ex aera-rio publico opera haec erunt adiuuanda.

Ad pueros egenos quod attinet, optimus quisque, vt publice educentur atque instituantur, in votis habebit. In locis, vbi opera, quorum mentionem fecimus, constituta sunt, eo pueri, vt labore, ipsorum viribus accommodato, victum sibi parent, atque industria

E

adsuefiant, scholis finitis mittendi essent. A disciplina scholastica liberati, eidem, quam amplecti constituerunt, viuendi rationi destinandi, eoque nomine, vt scitu necessaria discant, viris beneuolis et peritis tradendi. Idem fere dicendum de iis, qui incertos parentes habent. Quae omnia permultis in locis obtinere, quemlibet satis docent recentissimi de educatione instituenda commentarii.

Negari porro nequit, parentes plerumque liberos, extra matrimonium iustum natos, negligere, nihilque, vtrum rudes et obtusi maneant, an vtilis aliquando ciues euadant, curare, quid? quod matres saepe pecuniam, ad sobolem educandam ab iis, qui ipsis stuprum intulerunt, attributam, gulae et palato, aliisque rebus, luxui inseruientibus, destinare. Vnde crebro liberi illegitimi inutilia terrae pondera fiunt, a teneris vnguiculis vita dissoluta adsuescunt, et in suam ipsi perniciem ruunt. Quae cum ita sint, nonne e re ciuitatis erit, istos, nisi parentes probos et bene moratos esse satis constet, eius, qui foeminae vim intulit, impensis, aliis educandos dare? Nec semper tamen culpa, si liberi illegitimi ciuitati minus prosunt, quam possint, in mala parentum educatione quaerenda esse videtur. Saepius enim in praeiudicatis causa latet opinionibus multorum, qui, cum non perpendant, iniustum esse et iniquum, si liberos, qui nihil ad vitam sibi impertiendam contulerint, culpam parentum luere oporteat, p) natales illegitimos bonam existimationem opificiorum aliorumque collegiorum contamina-

p) Aurea verba sunt CALLISTRATI in l. 26. D. de poen. *Crimen vel poena paterna nullam maculam filio infligere potest. Nam vnusquisque ex suo admissio sorti subiicitur, nec alieni criminis successor constituitur.*

re, in legitimatis natiuitatis maculam nondum plane abolitam et extinctam esse somnient. Hinc pueros, ex illicito coitu genitos, male tractant, iisque, disciplinam ipsorum egressis, etiamsi omnia rite perceperint, haud leuia saepenumero struunt impedimenta. Quo facto, eiusmodi homines, si viderint, neque mores bonos, neque diligentiam, neque peritiam, ad commode et feliciter viuendum, propter aduersariorum inuidiam et calumniationes, ipsis prodesse, haud raro ad desperationem adacti, negotia sua remissius tractant, et, operam oleumque perdi existimantes, alias, victum sibi comparandi, vias easdemque illicitas ingrediuntur, eoque insigne ciuitati detrimentum inferunt. Quam maxime igitur expetendum est, vt vetustissima ista notae leuis macula, quae tanquam tabula ex naufragio superstes, ad aetatem nostram peruenit, e ciuitatibus plane proscribatur, nec liberorum solum, sed etiam matrum famae consulatur, foeminam vitiatam in matrimonium ducendo. Rarior foret nefanda illa matrum, infantes rubentes sua saepe manu occidentium crudelitas. Qua in re Borussia aliis provinciis laudabili praeiuit exemplo.

§ 19.

His impedimentis, mea quidem opinione, remotis, aliae dubitationes occurrunt, nunc dissoluendae. Erunt scilicet, qui affirmant: „parentes, quanquam non solum optima quaeque liberis „adprecentur, eorumque salutem, quantum possint, promoueant, „sed illos etiam diligenter in scholas mittant, incuria tamen et „nimia indulgentia ad ea, quae in in schola cognouerint, extinguenda haud parum conferre, neque, rebus sic stantibus, multum

„proficere institutionem scholasticam.“ Quod quidem magnum licet educationis impedimentum, praeceptorum operam non perditam, sed maxime necessariam facit eorum institutionem. Pueri si in scholis, quae audiuerunt, vitae adplicare didicerint, licet inter iustum et iniustum, bonum et malum, honestum et inhonestum nonnunquam titubent, et, quam viam ingrediantur, incerti haesitent, tamen, quae in scholis bene edocti fuerint, ea sensim paulatimque tam altas in animis agunt radices, ut, in quibus parentes peccare viderint, ea non imitentur, diligenter admoniti.

§ 20.

„Alii parentes, instas, sobolem, ut ipsis per aetatem in rebus „oeconomicis sit auxilio, aut, ut aliquot obolis parcant, a schola „retinent. Tempus hibernum vero repetitioni eorum, quae per „semestre aestiuum obliuioni tradita sunt, vix sufficit. Sic disci- „puli ne prima quidem rudimenta rite ediscunt, et, quia istos, „anno quarto et decimo praeterlapso, e schola dimittere solenne est, „fere ita rudes illam relinquunt, uti accesserunt.“ Quae quidem omnia etsi vix dubium admittunt: istis tamen querelis, ut mihi quidem videtur, praemiis, diligentiae distribuendis, bona, quae passim desideratur, institutione, religiosa verbi diuini ministrorum in scholas attentione, iustaque, pueros negligentes et male praecultos ab epulis sacris arcendi, seueritate, frequenti adhortatione tam publica, quam priuata, ac, si haec omnia nihil effecerint, poenis leuioribus obuiam itur.

§ 21.

Haec de mentis aequae atque animi cultu. Restat, ut de corporis cura pauca adiiciamus. Certum est, atque expeditum, maxi-

mam vim in animum habere corporis firmitatem, mentemque cum corpore arctissimo copulatam esse vinculo. Quo robustius corpus, eo agilior animus ad quaelibet tractanda et expedienda. Quo imbecilliore contra quis utitur corpore, eo ineptior mens erit, ad vtilissima quaeque arripienda, tenenda et exsequenda; eo ineptior ad cupiditates reprimendas et coercendas. Quae cum ita sint, mirum sane est, cur sanitatis, qua corpori robur conciliatur et conseruatur, non maiorem haberi rationem videas. Sanitati tamen quomodo consulendum sit, in scholis cognoscendum est. Erudienda enim aetas puerilis, quid ad valetudinem bonam conseruandam, morbosque euitandos faciat; quam necessarium sit, imminente morbo medicorum peritorum auxilium mature implorare, et, quae iusserint, religiosissime obseruare, neque circumforaneis et circulatoribus vllam fidem habere. Qua quidem duplici ratione quot ciues ciuitati impune eripiantur, non indiget probatione. Insuper cum multa eorum, qui inscii herbis nociuis aut valetudinem secundam debilitauerunt, aut fatum sibi properauerunt, exempla extent, illarum quoque aliqua imbuenda est aetas puerilis cognitione. Neque minus vtile est, quanta commoda temperantia praebat, quanta incommoda ebrietatem et comissionem sequantur, aliaque, quae commemorare neque lubet neque licet, puerorum animis inculcare.

§ 22.

Vti denique sanitati corporis prospiciendum est, ita haud exiguum expectare licet vtilitatem a corporis agilitate et dexteritate. Nam, vt taceam, quemlibet, si ipse in pericula inciderit, facilius se expedire posse, eidem, aliis, quorum vita in periculo est, suppe-

tias ferre volupe erit; cum, neglecta corporis exercitatione, illius rigore, quo minus hominibus miseris auxilium ferat, impediatur, aut, quia nullam virium fiduciam habet, de vita sua nimis anxius, et quid in praesenti faciendum sit, haesitans trepidet, atque vitae hominis seruandae occasionem e manibus dimittat. Ex quibus omnibus elucescit, istam educationis partem, quam fere omnes antiquioris aevi populi coluerunt, minime esse negligendam.

SECTIO POSTERIOR.

Tali puerorum educatione, qualem antea descripsimus, delicta in ciuitatibus vere minuuntur.

§ 23.

Iam ad alteram dissertationis partem progredior, in qua ostendum est, puerorum educationem, qualem descripsimus, tutissimam, crimina in ciuitatibus minuendi, viam esse.

Quanquam enim ciuitates, vel ad immorigeros cöercendos, vel ad facinorosorum ausus reprimendos, nondum omnibus poenis carere possunt; istas tamen inalo, quo ciuium societates laborant, non nisi ad tempus mederi, nemo negabit. Rarissime enim facinorosi poenis corriguntur; rarissime male morati et scelerati a vitiis reuocantur, aut a delictis deterrentur.

Quid in pueris, si peccauerint, proficeret castigatio, nisi iidem de damno, quod malis moribus sibi ipsi contrahunt, de fine, quem rerum vtilium cognitione et morum integritate obtineant, de commodis et praemiis, quae diligentiam et virtutem aliquando maneant, et aliis rebus redditi fuerint certiores? Omnes fere, qui puerorum educatione occupantur, poenas solas ad illos emendandos non suffi-

cere, easque adeo, pluries irrogatas, istos, omni honestatis sensu deposito, peiores et pertinaciores reddere adfirmant. Iam vero quid in adultioribus, iisdemque male educatis et instructis, effrenatissimis adfectibus sollicitatis, summa egestate et miseris coopertis, in vitiis et sceleribus bene exercitatis, de poenarum efficacitate expectandum veniat? Tales homines, ceu ferae bestiae, inclusi, in aliquod tempus mansuefiunt; dimissi, vt illae, libertatem nactae, effrenatiores circumuagantur, securitati ciuium et tranquillitati infestissimi.

Poenas solas ad facinorosos vel emendandos et corrigendos, vel a sceleribus retinendos et deterrendos, nil aut parum conferre, quemlibet conuincunt omnium temporum historiae, criminum et eorum, qui deliquerunt, frequentia, experientia quotidiana, commentarii iudiciales.

§ 24.

Primum videamus, quantum in sceleratis, siue ergastulo aut carcere diuturno detineantur, siue ad opus publicum damnentur, siue vltimo supplicio adficientur, poenae efficiant.

Qui ergastulis inclusi, poenam luerunt, eos, omnes fere conqueruntur, dimissos perquam raro resipuisse, crebrius in insania profecisse. Sunt in societate aliorum facinorosorum; et quae spes salutis, antequam eo peruenerant, affulsit, ea nunc plane intercidit. Occasionem confabulandi nacti, secum, quae quilibet praeclare gesserit, communicant, et vituperatione de rebus non astute satis gestis praemissa, consilia euolandi et aufugiendi ineunt. Neque id mirandum. Teste enim HORATIO,

Nauita de ventis, de tauris narrat arator.

Signis adeo, nutibus et motibus corporis se intelligere dicuntur.

Alii isto viuendi genere ita delectantur, vt semper ibi manere cupiant. Laboribus enim rite absolutis, non habent, quod de victu et amictu et de aliis rebus solliciti sint, praetereaque, vt par est bene habentur et tractantur. Quam fortunam si cum iis, quae ipsos, ex ergastulo emissos, manent, contulerint, non dubitandum, quin ergastulum magis, quam lares patrii arrideant. Domum enim reuersi, non habent, vnde viuant, neque, contentu aliorum oppressi, facile occasionem honesti laboris inueniunt. Inferiorum enim classium homines vpinione praeiudicata adhuc laborant, quod famam, si eiusmodi miseros adiuuerint, eorumque vicem tolerabiliorem reddiderint, contaminari existiment. Isti igitur, nisi fame perire velint, nullam, sibi consulendi, viam videntes, ad viuendi genus, in quo quondam sibi placuerunt, reuertunt, et quia sapere et cautius mercari didicerunt, maiores ciuitati inferunt calamitates. Haec tamen praecaueri posse videntur, si eiusmodi hominibus, libertate donatis, patrimonio modico sumtibus, in caussas criminales faciendis, plerumque exhausto, occasio, vitae necessaria sibi suisque comparandi, subministretur, et magistratus, quorum iurisdictioni subsunt, per temporis interuallum illorum mores diligenter inspicere iubeantur.

„At quot, ais, sunt, qui peiores ex ergastulis redeant, quam
„inierunt? Eadem experientia quotidiana nonne docet, hominum
„pessimorum audaciam et licentiam, diuturnis malis et miseriis
„frangi et debilitari?“ — Exempla profecto rarissima erunt.
Qui, bene educati, et postea vitiorum laqueis irretiti, mala sibi

pepererunt, illi nonnunquam ad officium redibunt; male educati, desperatis rebus, non tam, quod peccauerint, quam, quod omnem, in posterum peccandi, occasionem interclusam animaduertant, sibi ipsi necem inferunt. Tali ratione ex iis, qui in ergastulo detenti aut alia poena adflicti, ad frugem redierunt, cum nil aut parum fidei ipsis habeatur, vel negotiis ipsorum a melevolis hominibus magna impedimenta obiiciantur, vel ob male factorum conscientiam se omnibus suspectos esse credant, vitae taedio capti, vitam finient, aut leuiter turbati, durioribus, quam perpessi erant, poenis succumbent. q) Eadem fere de opere publico valent.

Neque magis solius carceris diuturnitate quis emendabitur. Plurimi enim facinorosorum, tantum abest, vt de delicti grauitate poenaeque iustitia cogitantes, meliores induere mores constituent, vt potius, quomodo in examinibus optime se expedire, atque adeo poenam, quae ipsos manet, elabendo subterfugere velint, secum deliberent, et tandem omni spe salutis sublata, animum despondentes, aut sibi ipsi aut aliis, quorum copia est, mortem consciscant.

§ 25.

„Quid igitur faciendum, pergis, quid substituendum in locum ergastulorum, operis publici, carceris diuturni?“ — Morum emendatio. Facinorosi enim quanquam, ne amplius publicam securitatem laedant, includendi sunt: istos tamen solis poenis nullo modo corrigi posse, ex superioribus luculenter apparet.

q) Tale exemplum habes in den Kriminalgeschichten aus gerichtlichen Acten gezogen. Erster Theil. Berlin 1792. 8. p. 44. III. „Vielfaches Verbrechen aus geringer Ursache“.

Quemadmodum aegrotus, in cubiculo inclusus, atque ab aliis hominibus iisque sanis seiunctus, nisi perito medico, et medicamentis ab illo praescriptis, vtatur, nunquam conualescet: sic, qui malis moribus laborant, nisi de officiis, de virtutis dignitate et turpitudine sceleris satis eruditi fuerint, etiamsi in abditissimis locis detineantur, nunquam bonos mores induent. Sicuti porro omnis opera nauatur, vt, qui in vitae periculo est, seruetur, aut, qui casu periit, vel inconsiderantia fatum sibi properauit, omnibus adhibitis remediis, in vitam reuocetur: ita nerui intendendi sunt, vt male morati, moribus emendatis conseruentur, et quasi ad vitam reuocentur.

§ 26.

„At, vrget, ad criminis reos, carcere inclusos, ministri verbi
„diuini, vt eos in doctrina Christiana instituunt, per singulas heb-
„domades admittuntur; ergastulis mancipati aedes sacras, vbi
„erudiantur, habent.“ — Recte quidem; neque tamen, teste
experientia, ista institutio sufficit. Plerique ita hebetes, obtusi,
atque in primis doctrinae rudimentis hospites sunt, vti infantes,
recens nati. Neque maiorem ex oratione sacra vtilitatem percipi-
ent, quam pueri aliquot annorum; vt taceam, eosdem, quia inge-
nii vires nunquam exercuerunt, ne per horam quidem attendere
posse.

„Insuper, inquis, singulis diebus, coelo rubente eoque ves-
„perascente, ad preces faciendas congregantur.“ — Hae, quaeso,
quantam vim in animos istiusmodi hominum habebunt? Absente
animo, instar machinarum, formulas recitabunt et hymnos decan-
tabunt, non tam de fine et vi precum persuasi, quam coacti.

§ 27. Cui tamen malo quodammodo obuiam iretur, si singulis diebus, vti pueri, quomodo bene, honeste et vtiliter sibi et aliis vivant, per vnam aut binas horas, easque non proxime se excipientes, erudiantur. Itane ministri verbi diuini, ad aedes illas constituti, nouis negotiis obruantur? His vero, cum animarum curam habeant, volupe erit, quamlibet, animas seruandi, arripere occasionem. Quodsi vero iidem aliis rebus nimis distrahantur, aequum est, illis adiungere adiutores. Est enim iniquum, singulorum facinorosorum, poena capitali afficiendorum, qui, sumto vltimo supplicio, ciuitati amplius obesse nequeunt, maiorem habere rationem, quam eorum, qui ergastulis, opere publico et carceribus detinentur. Hi profecto, tempore, antequam resipuerint, elapso, dimissi, ciuitatem innumeris adhuc vulneribus adficere, innumeras illi calamitates inferre possunt.

Faciamus adeo, tali modo paucos corrigi; iucundum tamen erit, hunc vel illum seruasse, vt praetermittam, ciuitatem, hoc remedio frustra adhibito, culpa vacare. Exinde vero, quam arduum sit negotium bona puerorum educatio et institutio, satis apparebit.

§ 28. Ast poenae capitales meliores reddent delinquentes et probiores? Dubito. Institutioni antecedenti, non poenis hoc attribuendum esse reor. Multos tamen aliud simulare, aliud sentire, adeoque id agere, vt partes, quas vltimas suscipiant, bene agant, et instar herois e scena abeant, nemo in dubium vocabit. De

quibus, cum ex humana societate eximantur, inter homines amplius sermo esse nequit.

§ 29.

„Exemplo, inquires, prosunt aliis, quos a facinoribus et delictis deterrent, et ad officium reuocant.“ Ad bene moratos quod attinet, non contradico; qui, etiamsi nunquam criminum reos capite plecti viderint, virtutem tamen amare et colere perrexerint. Poenae capitales ergo solam vim habere possunt in animos hominum prauorum, qui delicta aut iam commiserunt, aut admittere parati sunt, aut propter animi leuitatem et inconsiderantiam in vitia et delicta irruere possunt; hi, vt in tempore ad frugem redeant, illi, vt a conatu deterreantur, isti, vt crimina perpetrare tandem aliquando desinant. Vtinam poenae capitales, quae efficere dicuntur, ea vere efficiant. Dolendum sane, quod vsu communi contrarium doceatur. Tres istas, quas antea constituimus, hominum classes paululum perlustremus.

Homines quidem leues, donec aures vltimo supplicio, de facinoroso quodam propediem sumendo, circumsonant, donec oculi tragoediam intuentur, donec facinoris et poenae memoria viget, ad se conuersi, de vita ante acta paululum secum deliberabunt, adeoque mores emendare constituent. Eisdem si, praeterlapsis aliquot mensibus, inspexeris, et ab omni periculo tutissimos repereris, nunquam tale quid accidisse iurares.

Qui ad delictum perpetrandum se iam accinxerant, a conamine mox desistent; sed, tempore elapso, lucri auiditate incensi, aut aliis cupiditatibus stimulati, occasione idonea oblata, quae antea animo proposuerant, perficient.

Ultimo tandem, qui in delictis consenuerunt, cum alios iustas poenas luerè viderint, astutiam sibi gratulantes, quomodo in posterum et caute peccando et delinquendo poenam subterfugiant, recenti exemplo admoniti, cogitabunt. Tantum abest, vt facinorosi poenis capitalibus a delictis deterreantur, vt saepius, quo tempore vltimum supplicium a delinquente sumitur, ad consilia turpia exsequenda, occasione ista, a fortuna ipsis oblata, vtantur atque adeo sub patibulo et rota praedam inter se dispertiantur. Nisi poenarum, qualem descripsimus, effectus esset, num post innumeros concrematos, laqueo suspensos, gladio plexos, vndis suffocatos, rota concussos, aliosque aliis poenis adfectos, num carceres, ergastula et opera publica tam multis adhuc facinorosis referta conspiceres? Neque deficiunt exempla eorum, qui, etiamsi in locis, vbi poenam luant, detineantur, tamen crimina criminibus cumulare pergant. r) Omnino eiusmodi homines ita secum disputantes audio: Equidem licet peccem, tamen, ne in delicta et poenas incurram, diligenter cauebo; criminibus admissis, ne detegantur, caute agendum est; ponam adeo, me explorari, exploratumque in vincula coniici, negabo, negantem capite plectere nequeunt; criminis conuictus, ad caussarum patronos, qui certo mortis periculo me eripient, ac, si horum ars fefellerit, ad clementiam eorum, qui summas imperii te-

r) E pluribus, quae circumspicienti cuilibet in mentem venient, exemplis, mentionem faciam solius infanticidae, quae ad opus publicum damnata; cum, occasione oblata, Venerem illicitam exercuisset, parturiens partum sanguinolentum, terra obrutum suffocauit. Vid. *Nachricht, die v. K. . . sche Untersuchung betreffend. Ein Beytrag über Verbrechen und Strafen. Königsb. 1792. 8.*

nent, confugio; spes adeo elabendi iis in locis, ubi ab impensis in quaestionem faciendis, abhorrent, nondum est abiicienda.

§ 30.

Ad maximam denique spectatorum partem quod attinet, qualem in illos vim habebit vltimum supplicium? Quorum plurimi, cum causam aut plane ignorent, aut propter magnum temporis interuallum illius non amplius recordentur: poenae capitali affligendos, quia ad praesentia magis, quam ad praeterita plerumque respicere solent, non tam detestabuntur, quam miserabuntur; non tam poenae iustitiam, legum sanctitatem, ciuitatis securitatem, quam vinculorum molestiam, poenae acerbitatem, carceris diurnitatem intuebuntur; et quem tempore delicti commissi, in potestatem suam reductum furore correpti, dilacerauissent, eum iustam poenam luentem, lacrimis et lamentationibus prosequuntur. Vides, poenas capitales, quicquid efficere gloriaris, non efficere. Efficere tamen aliquid possent, si ante vltimi supplicii diem in libellis, gratis dispertendis, delicti causa, cum omnibus eius attributis exponatur, addita poenae in eum, qui deliquit, irrogatae descriptione et graui de virtute colenda adhortatione. s)

§ 31.

Quae hucusque de exigua poenarum in facinorosos aequae atque alios efficacitate attulimus, ea satis, opinor, declarant, istas ad crimina in ciuitatibus minuenda nil aut parum conferre. Causae criminum tollantur, et crimina euanescent. Cuius finis certissime

s) Talis scriptiuncula nuper, data occasione prodiit. *Actenmaessige Erzählung des gegen den Colonus Fischer aus Bracke verübten Mordes und Strassenraubes, von AVG. STERZENBACH Detmold. 4.*

obtinendi, nulla tutior via, quam bona puerorum educatio; qua de re nunc erit exponendum.

§ 32.

Delictorum quanquam multae afferri possent caussae, praecipuas tamen nominasse sufficiat; summam egestatem, vehementes animi perturbationes et ignorantiam. Equidem quod effrenatis animi adfectibus, nec non ignorantiae non vnā eandemque classem adsignauerim, neminem, vt puto, offendet. Cupiditates enim, quamuis expeditum sit, haud raro ignorantia nasci, atque ab eadem ali: tamen permultos, quae ipsis facienda sint, quae omittenda, optime scientes, prauis animi commotionibus instigantibus, ita agere videris, quasi, quid bonum malumue, quid turpe aut honestum, quid iustum aut iniustum, quid aequum aut iniustum sit, nunquam didicerint. r) Sola scientia ad bene agendum parum confert; hoc vt homines discant, iidem a teneris vnguiculis in officiis seruandis exercendi sunt. Qui contra ignorantia laborant, ii, cum omnia sibi licere arbitrentur, vehementibus adeo adfectibus non stimulantibus, peccare atque delinquere non dubitabunt.

§ 33.

Primum quidem de animi adfectibus videamus; quas, tanquam naturae humanae insitas et innatas, haud inutiles esse, in dubium vocari non potest. Istae enim in tempore sapienterque a nobis concitatae magnum ad res alacrius gerendas adiumentum adferunt, ad praeclare facta incitant, animos ad liberalitatis, fortitudi-

r) Conf. librum supra laudatum: *Nachricht die v. K. . . sche Untersuch. betref.*

nis, constantiae, assiduitatis aliarumque virtutum laudem appetendam propensos faciunt. Quemadmodum naues, vt progredi possint, secundorum auxilio ventorum indigent: ita homo, animi adfectibus destitutus, aut nunquam, aut sero, quem finem sibi proposuit, adsequetur. Sicuti porro naues, ventorum aduersorum furore correptae, hinc illinc iactantur, diuque agitatae demerguntur: ita pravae animi commotiones hominum animos perturbant, perturbatosque in malorum voraginem abripiunt. Ac tandem vti navigium, tempestate coorta, moderatoris dexteritate et prudentia regitur et seruatur: ita animi adfectiones, moderamine mentis adhibito, inter calamitatum fluctus diriguntur et in salutem humanam promouentur. Quam artem si omnis aevi homines bene calluissent, inhumanae crudelitatis, vitiorum detestandorum, horrendorumque delictorum exempla in historiarum monumentis non legerentur. Perturbationes animi vero vberrimum vitiorum et criminum fontem esse, paucis exponamus.

§ 34.

Iracundus, leui momento irritatus, excandescit, vindictam spirat, eos, a quibus se offensum esse existimat, iniuriis onerat, conuiciis dilacerat, adeoque eo furoris procedit, vt non solum vulnera inferat, sed etiam caedem faciat. — t) Auarus, bonis suis

t) *Inspicias die Kriminalfälle für Rechtskundige und Psychologen. Frankf, u. Leipz. 1794. 8. p. 159. VI. „der Vatermörder.“ Ibidem p. 119. V. der gegebene Anlass zur tödtlichen Verwundung — Vide porro Criminalgeschichten, aus gerichtlichen Akten gezogen. Th. I. Berlin 1792. 8. p. 74. V. „Ermordung einer Person aus verzweifelungsvoller Rachsucht gegen eine andere; p. 120. XIII. Mord aus*

non contentus, insatiabili diuitiarum fame cruciatur, neque adeo, ad thesauros nouis cumulandos, fraudes adhibere et immodicum lucrum sumere, neque periuria *v)* admittere dubitat; idem tamen haud raro alios, ad rem familiarem conficiendam, inuitus inuitat. *x)* — Ad desperationem adacti, quid est tam horrendum, quod suscipere non audeant? Non suae, non aliorum vitae parcunt. *y)* — Neque desunt, qui, cum alterius sexus amore exarserint, neque ad obtinendum finem, eumque non semper inhonestum, adhortatio, obsecratio, persuasio processerint, aut sibi ipsi manus inferant, aut vitae aliorum insidias struant, aut aduersariorum odio agitati, morti se deuoueant. *z)* — Quid de libidine dicam, adulteriorum ac stuprorum matre, rei meretriciae, lenocinii, prostibulorum genitrice. Ex eodem fonte promanant parricidium, veneficium, infanticidium, abortus, raptus, aliaque delicta, quorum, obstantibus impedimentis, reos se facere audebunt. — Puellae caede infantum, recens natorum, nece, quam sibi ipsae inferunt,

Rachsucht und Verzweiflung. p. 211. XII. Mord aus Zorn und Rachsucht.

v) Conf. Kriminalfälle c. l. p. 52. II. der zugeschobene Eid.

x) Legi meretur exemplum XV. p. 186. Raub verübt von einem siebenzehnjährigen Bauerburschen; in den Kriminalfällen., l. c

y) Vid. die Criminalgesch. l. c. p. 31. II. Mord aus Verzweiflung über die Untreue einer Geliebten an einer dritten Person. — Ibidem p. 74. V. Ermordung einer Person aus verzweiflungsvoller Rachsucht gegen eine andere. — p. 83. VI. Ermordung eines Knaben, aus Verzweiflung über verschmähete Liebe einer liederlichen Bettlerin — p. 170. XIII. Mord aus Rachsucht und Verzweiflung.

z) Conf. Kriminalgeschichten, l. c. p. 21. I. Mord aus Liebe.

bonae existimationi consulere opinantur: pueri contra, famae iacturam metuentes, in alia praecipites se dant delicta. a)

§ 35.

Ex quibus facile intelligitur, quanta damna a commotionibus animi proficiscantur. Quemadmodum vero vnusquisque, sana ratione praeditus, in aliis rebus commodo suo optime consulere ac detrimentum a se auertere studet: ita sanae rationi repugnat, si quis, animi adfectionibus inseruiens, sibi ipse vltro innumera mala pariat, et commodis, a sapienti mentis moderatione expectandis, se ipsum abdicet. Quae cum ita sint, res profecto maximi momenti est, educandam sobolem eo nomine diligenter obseruare et crebro adhortari, vt animi commotiones mentis regimini subiicere, et ne in prauas consuetudines degenerent, tandemque veterascant, cauere discat; simul etiam damna, quae cupiditates mentis facultatibus pariter atque corporis viribus inferant, luculenter ante oculos ponenda, et soboles ipsa in istis reprimendis et coercendis diligenter exercenda. Qui finis quo melius et tutius obtineatur, operanda, vt pueri, ne animi adfectibus materia subministretur, bene valeant, firmoque corpore vtantur, et labori adsuefiant.

§ 36.

Iam ad alium fontem, quo permulta delicta scatent, ignorantiam, b) progredior. Qui ineunte aetate, quam grauia ipsis incum-

a) Exempla prostant *in den Kriminalgeschichten* c. l. p. 44. III. *Viel-faches Verbrechen aus geringer Ursache*; — porro *in den Kriminalfällen*, l. c. p. 52. II. *der zugeschobene Eid in peinlichen Fällen*.

b) Quanquam exempla eorum, qui crassa, vt loquuntur, ignorantia laborant, temporibus nostris rarescunt: tamen inueniuntur adhuc, te-

bant officia, non rite didicerunt, qui in patria eiusdemque legibus hospites manserunt, qui nulli vitae generi, ad paranda sibi vitae necessaria, se addixerunt, ii, tantum abest, vt probi et vtilis ciues aliquando euadant, vt potius ciuitatis tranquillitati perniciosi existant. Hinc tot falsae officiorum notiones; c) hinc tam frequentes de tributorum et vectigalium oneribus querimoniae. Has enim quod attinet, cum multi, quot et quanti sumtus ad ciuitatem regundam, eamque ab hostili impetu defendendam, nec non ad vitam, commercium, dominii iura tuenda, requirantur, plerumque nesciant: non tam ad commoda, quae ex his institutis in singulos ciues redundant, quam in incommoda, quibus se oneratos esse arbitrantur, respicere solent. Neque desunt, qui ad vectigalia recipienda constitutos decipere, magistratum auctoritati detrahere, optima quaeque instituta vituperare, non solum inter amicos et priuatos parietes, sed etiam inter pocula et in locis publicis conentur; laudantes leges, instituta, regiminis formam, ab exteris receptam, onissis, sine quibus ciuitates subsistere nequeunt, eorum oneribus.

sibus aetatis nostrae annalibus. Cuiusmodi exemplum legitur in BECKERS *deutscher Zeitung*. v. I. 1795. 10tes Stück, p. 154. vbi iuuenis, fertur, annum vicesimum agens, ne preces quidem dominicas tenuisse, easque, ne viatici petendi repulsam ferret, tandem memoriae mandasse, idemque, cum et hoc artificium fefellisset, operas suas pro mercede aliis locare coactus, ac propter desidiam et imperitiam male habitus, paulloque post dimissus, aedibus domini, vt iniurias, quibus se ab illo affectum crediderit, vlcisceretur, bis ignem subiecisse. — Aliud Exemplum prostat in *den Kriminalgeschichten*, l. c. p. 186. XV. *Raub verübt von einem 17jährl. Bauerburschen.*

c) Conf. *die Kriminalgesch.* l. c. p. 162. XII. *Diebstahl aus kindlicher Liebe.*

§ 37.

Cuiusmodi querelae quamuis iniustae sint, haud raro tamen tumultibus materiam superstruunt. Quae quidem omnia, si pueri, antequam scholam reliquerint, in iis, quae principi, quae ciuitati, quae legibus debeant, rite instituti fuerint, optime euitari possent. Quam ad rem illustrandam, celeberrima ista de corporis humani membris, eorumque contra ventriculum coniuratione, fabula, a Liuiio enarrata, *d)* proponenda esset. Docendi porro sunt pueri, querelarum caussam maximam partem in subditis ipsis latere, neque sola tributa et vectigalia, sed praeprimis socordiam, immodicum luxum, negligentiam, aliaque, quae iam exponere nihil attinet, rem familiarem absorbere.

§ 38.

Alios videris, occasione quacunq̄ue oblata, alios decipere, patrimonium aliorum arrodere, lucrum immodicum et sordidum capere, et contra ius fasque, adhibitis fraudibus turpibus, illicitisque artificiis, aliena bona sibi arrogare. Ex quibus si, annon tales actiones inhonestas, turpes et illicitas existiment, quaesiueris: cum aliqua fiducia, et quasi re bene gesta, respondebunt: quicquid aliis licet, mihi non aequè licitum sit? alii mecum turpiter agunt, quis par pari referentem vituperabit? Iidem eo nequitiae procedunt, vt probiores et prudentiores, eiusmodi inhonestos acquirendi modos detestantes, tanquam homines minus cordatos, despiciant, atque adeo de iis, quae male fecerunt, gloriantur. Quos descripsimus homines, ii non minus pernitosi sunt ciuitati, quam

d) LIV. II, 32.

fures et latrones. Ego quidem inter vtrumque hominum genus parum discriminis inuenio, nisi quod hi aut vi aut maiorem bonorum partem simul auferant, illi contra sensim sensimque aut maiori cum iustitiae specie patrimonium aliorum exhauriant. Mihi profecto illi his magis peccare videntur, cum illorum ausus quilibet, rem suam diligenter custodiendo, recondendo et includendo eludere, et vim vi repellere possit; hi contra quasi priuilegiati in conspectu omnium partes suas agant, et, nisi, quibuscum rem habeas, scias, aut ab amicis admonitus fueris, vix effugiendi videantur.

§ 39.

Hinc plurimi bona, administrationis causa ipsis commissa, intercipiunt, aut in rem suam conuertunt; iurisiurandi religionem violant; in negotiis, cum aliis contrahendis, perfide agunt; pro pecunia mutuo data, immodicum lucrum postulant, illoque extorto, res pignori datas vendunt, et pretium inde redactum sibi seruant; re familiari, immodico luxu exhausta, aeri alieno obnoxii, bonis cedunt, et creditoribus aut plane non, aut pusilla pecunia satisfaciunt. Hi omnes in crimina vsurariae prauitatis, periurii, falsi, stellionatus, de residuis incidunt. — Neque porro desunt qui alios calumnientur, verba ab illis prolata detorqueant iisque malam mentem subiiciant; qui se ipsis probiores iniuriis et conuiciis contaminare, aliosue, a quibus iniuria sese affectos esse existimant, diris deuouere, iisque per sacramenta male precari audeant; qui quaslibet quisquillas adeoque mendacia iuramentis confirmare non dubitent. An vero iniuriae religionisque abusus non delicta dicenda?

§ 40.

Quae quidem crimina, si pueri in omnibus, quae cuilibet aetati incumbunt, officiis erudiantur, et quantum ex legibus patriis cuilibet subdito scitu necessarium est, immixtis suo loco breuibus iisque perspicuis de forma regiminis et de legum magistratuumque fine obseruatiunculis doceantur, ac praeceptores tandem aliquando, loco rerum vtiliorum, memoriam discipulorum magna formularum congerie excruciare desinant, — facilius, quam poenis irrogatis, extirpanda erunt. Formulae enim per aliquot hebdomades memoriae inhaerent, et accedentibus aliis iisque recentioribus sensim delentur; quae vero pueri de officiis, rite propositis et explicitis audiuerunt et intellexerunt, ea fixa manent, et vberimos fructus ferunt.

§ 41.

Supersunt pauca adiicienda de tertio fonte, egestate et inopia e), quae agro sterili, vbi pro frugibus carduus et lolium propullulat, comparanda videtur. Egestatis quanquam multae afferri possunt caussae: tamen in imperitia, desidia et intemperantia subsistam.

§ 42

Imperitos quidem, quia, quae ad artem, quam profitentur, scienter colendam, ad opificium, quod elegerunt, rite exercendum, ad vitae genus omnino, cui se dediderunt, cum fructu tractandum, scitu necessaria requiruntur, aut plane non, aut non ac-

e) Vid. *die Kriminalgesch.* l. c. p. 152. XI. *Mord aus Lebensüberdruß nach neuntägigem Hunger.*

curate didicerunt *f*), vix vitam sustentare posse, non indiget probatione. Quid mirum, si ii, suo vitae genere deserto, alia, quibus vitam tolerabiliorem reddant, circumspiciant subsidia; quid mirum, si, iusta an iniusta, honesta an turpia, licita an illicita sint, non curent? Via, quam ingrediantur, non detecta, aut mendicando ciuium diligentiorum patrimonium sensim exhauriunt, aut eleimosynis non contenti, plus expostulando et minis immixtis extorquendo, publicam securitatem turbant, adeoque eo nequitiae procedunt, vt, ferente occasione, quae oculis obuia conspexerint, surripiant. Quae cum, teste experientia, ita se habeant, parum abest, quin istiusmodi homines in maiora delicta *g*) abrepti, maiores adhuc ciuitati calamitates inferant.

§ 43.

Huic malo nullum fortius opponi potest propugnaculum, bona puerorum educatione et aedibus publicis, ad egenos recipiendos, extractis. De quibus cum supra exposuerim, pauca tantum

f) Id quod frequenter accidere solet, si liberi a parentibus inuiti opificio aut certo vitae generi destinati fuerint. Exemplum habes in *den Kriminalfällen* l. c. p. 32. I. *Falschmünzer durch Noth und Verführung.*

g) Inspicias, quaeso, *die Kriminalgesch.* l. c. p. 61. IV. *Raub auf öffentlicher Landstrasse aus Mangel an Unterhalt.* Miles gregarius, cum ex vulnere, in bello accepto, postea in morbum, quem epilepsiam vocant, incidisset, neque, a legione dimissus, occasionem, operas suas alicui locandi, nactus esset, consilium cepit, victus rapiendo quaerendi. Quo in loco auctor libri bene monet, ciuitatis interesse, vt milites in patria defendenda vulneratos, nec laboribus ob mutilationem amplius idoneos, in tanta ista omnium aliarum rerum ignorance, dum viuant, a fame et egestate tueatur.

de sobole educanda adiicere liceat. Puerorum animis nimirum a parentibus et praecipue a praeceptoribus inculcandum est, diligentiam magna praemia manere, mali otii contra comites esse vitia, crimina, poenas; operam esse dandam, ne occasionem imbibendi, quae aliquando in quocunque vitae genere ipsis prosint, dimittant, seque rite ad illud praeparent; vt, schola relicta, quae in viuendi ratione, quam amplecti cogitent, scitu necessaria sint, ne ingratos se praeceptoribus, parentibus, ciuitati exhibeant, accurate ediscant. Atque hae tales admonitiones, argumentis suffultae eademque saepius repetitae, ita inhaerebunt animis, vt nunquam possint deleri.

§ 44.

Aliam inopiae causam socordiam diximus. Quisquis enim teneris inde vnguiculis neque labori adsuefactus, neque vnquam de maxima, quam vires corporis et animi, moresque boni, eorum exercitio per longum tempus interrupto, faciant, iactura, vti par erat, edoctus fuerit, ei in desidia sordida squallenti bene erit. Idem cum laborem, modicam saltem animi et corporis intentionem postulantem, ceu pestem fugiat: tantum abest, vt aliquid ad felicitatem communem promouendam conferat, vt potius ciuibus diligentioribus oneri sit et dedecori. Neque minus iste omnem, quae offertur, sine molestia et industria lucrandi, occasionem circumspicens arripet, se ipsum in vitiorum voraginem praecipitem dabit, et turpi vita adsuetus, delicta committet.

§ 45.

De intemperantia denique, quae egestatem, morum prauitatem, vitia bene fucata, crimina adeo in comitatu habet, quid dicam? Ebrius non solum bonam, qua antea vsus est, valetudinem

concutit, concussamque frangit, sed etiam rem familiarem ita negligit, ut sui vix habeant, unde viuant. Neque his contentus, ea adhuc, quae vxor cum liberis aegre corrasit, sibi vindicat, vindicata gulae destinat. At vae! illis, si imperatis renuant. Pater enim, quae volentes non dederint, ea minarum, conuiciorum, execrationum mole inuitis extorquebit, ac, si ista omnia nil profecerint, vi resistantibus eripiet. Unde saepius animaduertimus patresfamilias, omnibus exhaustis bonis, cum familia, vicinas et exterarum regiones mendicantes peruagari et stipem colligere.

Ebrius, quicquid in buccam venit, diblaterat, in optima quaeque instituta, in leges, in eos, quibus reuerentiam debet, in magistratus, in principes inuehitur; et summa, quam vinum adustum subministravit, sapientia plenus, proijcit ampullas et sesquipedalia verba. Nonne ebrietas saepissime rixas et altercationes adduxit; nonne, iis exortis, saepissime res a verbis a verbera protractae, in vulneratione et caede desinunt? h)

§ 46.

Alii immodico luxui inseruiunt. In vestibis elegantibus, dapibus exquisitis, supellectile lauta, summum bonum ponentes, his curis iisque solis anguntur; multum temporis in cultu perdentes, subinde rerum seriarum nauseam capiunt; pudet illos tandem laborum, quibus antea occupati, bene se habuerunt. Hi cum omnem,

h) Praeter multa, quorum quilibet ipse meminit, exempla, aliquot adijcere liceat, Conf. *Kriminalgesch.* I. c. p. 141. X. *Mord verübt von einem siebzigiährigen blinden Pfarrer an seiner eigenen Ehefrau.* Clericus nimis, quam par erat, vinum adustum amans, magno aere alieno contracto, ne gulam negligere cogeretur, saccum sonantem aliquoties spoliavit. Huic quidem, luminibus deinceps orbato, fractis per intemperantiam omnibus corporis animique viribus, idem potus arrisit. Saepissime ab vxore admonitus et reprehensus, consilium cepit, illam, ne amplius ipsum increparet, e medio tollendi. — Quam noxii ciuitatibus ebrii sint, ex aliis, quae ibidem prostant, apparet ex p. 93, VII. *Intendirter Mord aus Lebensüberdruss*, et p. 170, XIII. *Mord aus Rachsucht und Verzweiflung.*

quam honeste sibi acquisiuerant, rem familiarem ineptiis impendentes, reditus, negotiis neglectis, minuerint, eorumque fontem sustulerint: non possunt non ad incitas redigi. Neque tunc quidem ad laborem, ad ordinem, ad parsimoniam, ad diligentiam redibunt. Desidia adsueti, labores fugiunt, vitam commodam praeferentes. Alii libenter ad diligentiam et officium redirent, nisi ignominiam et contemptum prudentiorum metuerent. Prudentiorum? inquis. Profecto! Hi quanquam, cum vitae socios, qui serius damno suo sapere didicerunt, ad frugem rediisse animaduertent, ex animi sententia laetantur: luxuriosi tamen, arrogantia plerumque excellentes, magis istorum opprobria, quam laudes expectabunt; et, contracto ex vita ante acta aliorum odio, ne exhibentur atque explodantur, metuent potius, quam insania deposita, cordatorum plausum ferre se posse existimabunt. Vnde non mireris, si eos solam cuticulam curare videas. Eisdem, lucri captandi causa falsa testimonia exhibere, peierare, calumniari, se aliorum libidini prostituere, adulteriorum, lenocinii, usurariae prauitatis reos se facere, et rebus desperatis, manus sibi inferre *i)* non dubitabunt.

§ 47.

Cuiusmodi delicta euitabunt, qui sorte sua contenti esse, qui veram felicitatem a ficta discernere, paucis indigere, parsimoniam et temperantiam colere, qui diligentiam, tutissimam ad vitae tranquillitatem pariter ac commoditatem viam esse, ab ineunte aetate didicerunt.

Quae quidem omnia satis mihi videntur demonstrare, quantam vim habeat ad crimina in ciuitatibus minuenda bona puerorum educatio.

§ 48.

„Quae consilia, murmurantes audio quosdam, vtinam exsequi liceat; ast, proh dolor! piis votis annumeranda, et magis reipublicae, a Platone aliquando effictae, quam humanis regiminum formis,

i) Conf. Lib. *Über die Mittel gegen die Überhandnehmung des Selbstmordes.* Leipz. 1792. 8.

„conuenire videntur.“ — Multa tamen, quae ante secula fieri non posse credebantur, posteritas fieri posse animaduertit. Quis, quae- so, pestem, olim in Germania quasi indigenam, extirpari posse putasset? En Germaniam a malo isto totamque fere Europam nunc liberatam! Num morum prauitatem minus pestiferam ciuitatibus esse statuis? Quisquis in historiarum monumentis non plane hospes est; quisquis de Graecis, Romanis, aliisque antiquitatis populis vnquam aliquid legit; quisquis, quae nostris temporibus in Francogal- lia euenerunt, audiuit, auditaque leuiter percurrit, non potest non de sententiae istius veritate persuasus esse. Vt vero in tollenda et propulsanda peste, olim longe lateque grassante, eaque magnas ho- minum strages cumulante, optimus quisque symbolam contulit, atque ad hydram istam enecandam coniunctis viribus cum aliis elaborauit: ita non dubitare audeo, quin in tam horrenda morum prauorum lue, pro virili parte, ad istam reprimendam adeoque subinde extirpandam quilibet paratus sit. Neque de felici horum conatum successu desperandum est, cum multae iam ciuitates, innecta meliori puerorum institutione, laudabili exemplo praeiue- rint, illarumque exemplo incitatae eundem tramitem aliae calcaue- rint. — Quanquam autem istius, quam sectione priori descripsimus, educationis fructus intra aliquot annos percipi nequeunt: tamen laeta spes affulget, eorum certissime participem fore posteritatem. Paterfamilias bonus quidem, vt heredum suorum vtilitati aequae ac voluptati consulat, arborum ordines plantat, easque putat et dili- genter curat, etiamsi ipse fructum, dum diuit, carpere non possit. Idem, quod ad sobolem educandam attinet, imitandum esse, nemo erit, qui infitietur. Hac eaque sola via tales posterorum de paren- tibus et auis querelae, quales apud HORATIUM *k)* inueneris, op- time euitantur.

k) Lib. III. Od. 6.

Aetas parentum peior auis tulit

Nos nequiores, mox daturos

Progeniem vitiosiore[m].

§ 49. Neque tamen negligendi sunt, annos pueriles egressi. Omnis potius opera danda est, vt illorum animus collustretur, l) mores emendentur, et, cum publica institutio non sufficiat, libri, in quibus de hominum officiis, de educatione, de valetudinis cura aliisque rebus grauibus perspicue agitur, cum istis communicentur. m) Denique optandum est, vt egeni iidemque infirmi publice alantur; desidiosi ad laborem compellantur; mendici intercipientur; quo certius hic finis obtineatur, aedes, istis recipiendis aptae, exstruantur. Ita miseriae humanae minuentur; ita vitia coercebuntur; ita innumera delicta praecauebuntur.

Omnibus iam, de quibus scribere nobis propositum fuit, absolutis, nulla amplius consilii nostri commendatione opus esse videtur. Aliqua istius ratione habita, simplices et incorrupti mores, quos poetae veteres saeculo aureo viguisse cecinerunt, inuenta meliore et diligentiore puerorum educatione, redibunt; poenae, quo rariores et certiores, eo efficaciores et leniores erunt; et exteri populi rectius n) de Germanis pronuntiabunt, quod TACITVS o) olim de iis scripsit: *nemo, inquit, illic vitia ridet, nec corrumpere et corrumpi saeculum vocatur, -- plusque ibi boni mores valent quam alibi bonae leges.*

l) Conf. *Beantwortung der Frage: Kann irgend eine Art von Täuschung dem Volke zuträglich seyn, sie bestehe nun darinne, dass man es zu Irrthümern verleitet, od. die alten eingewurzelten fort-dauern lässt?* Eine Preisschrift von R. Z. BECKER. Leipz. 1781. 8.

m) Si BECKERI, FAUSTII, SALZMANNI, aliorumque scripta ab inferioris ordinis ciuibus frequentius legerentur: non exigua utilitas exinde in ciuitates redundaret. In calendariis potissimum loco rerum superstitionem fouentium, multae res viles et scitu necessariae propagari possunt.

n) *de morib. Germ. c. 19.*

o) Alii iam obseruarunt, TACITVM multa in laudem Germanorum scripsisse, vt Romanorum mores perstringeret, eosque, Germanorum mores extollendo, deprimeret. Vid. C. F. HOMMELII *Litterat. iur.* p. 106. § 3. et C. CRVSIVS *in opusc. a Klotzio Altenb. 1767 editis* p. 33. et 294.